PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
Legato Anselmi
OA. - b -
82

A D


MARIAM ADELAIDEM CLOTHILDEM

A FRANCIA

SARDINIAE REGINAM AUGUSTISSIMAM

ESTHEREIS

LIBRI DUO



TAURINI MDCCXCVII


EX TYPOGRAPHIA REGIA

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA

MARIAE ADELAIDI CLOTHILDI

A FRANCIA

SARDINIAE REGINAE AUGUSTISSIMAE



JOHANNES BERNARDUS VIGUS

Quam benigne clementerque, REGINA AUGUSTISSIMA, *ea scripta excipere, ac fovere soleas, quae ad verae, solidaeque religionis aut provehendum,*

augendumque cultum, aut dignitatem, sanctitatemque vindicandam conferre aliquo modo possint, neminem esse arbitror, in hac urbe, atque adeo tota in ditione, modo civilium rerum non omnino ignarum, quem lateat. Neque mirum id quidem, ut ego sentio, videri cuiquam debet, quum omnes norint, quam pie, diligenterque eam Tu virtutem, caeteris omnibus, quae Principem optimam decent, maxime excellens, usque colueris, quotque tui in eam amoris, studiique exempla praeclarissima, non minus in adversis rebus, quam in secundis (hac etiam laude praeter caeteras Caroli Emmanuelis iv, *religiosissimi, ac justissimi Regis, populorumque suorum Patris amantissimi Conjugem dignissimam Te praestans), mirum in modum Tibi semper constans, praebueris. Quare non equidem temere, tua scilicet ea benignitate, clementiaque fretus, quae omni est commendatione major, quum heroicum, atque sacrum meum Carmen, paucis ante diebus absolutum, Tibi nuncupare, si liceret, animum induxi, fore speravi, ut Tuo illud patrocinio amplissimo commendatum exire sinens, mei me voti compotem faceres. Quum enim Estheris*

*historiam vere admirabilem, ac plane divinam persecutus illo fuerim; idque universim: quumque possint ex ea, ut Tibi perspectissimum est, ipsius cognitione eximie praeditae, multa percipi, ad vitam recte instituendam, in quo christianae religionis summa posita est, utilissima, documenta, quid tandem Tibi et convenientius, atque acceptius, et regia tua majestate minus indignum offerri a me quidem poterat? Praeteribo, brevitatis caussa, tacitus quod hujusmodi historiae interpres clarissimus de Assuero, et Esthere, quod de Mardochaeo, et Amane allegorice, ut ipse loquitur, sentiendum docet *, et quas in ipsis personas designari censuerit. At quis ex iis, qui hoc opusculum attente legere non gravabuntur (legent autem fortasse quammulti, non tam poëseos amore, quam nomine tuo praeclarissimo, quo insignitum circumferetur, allecti) quis, inquam ex iis, cum in Vasthis expulsione e solio,*

* *Allegorice Assuerus designat Christum; Esther B. Virginem, et Ecclesiam; Mardochaeus animam fidelem, et piam; Aman, et Vasthi Daemonem, Carnem, et Mundum repraesentant.* Corn. a Lap. *in argumento lib. Esther.*

tum vero in Amanis supplicio acerbissimo odium acerrimum non agnoscet, quo Deus optimus maximus hominum superbiam prosequitur, contra vero in excelsissima dignitate, ad quam ex improviso evectus Mardochaeus legitur, summum ejusdem aeterni Numinis adversus voluntariam, ac veram demissionem animi, amorem? Quis Judaeos omnes e teterrimo communis exitii periculo, in quo Amanis nequitia, et machinatione scelestissima versabantur, praeter eorum spem divinitus ereptos considerans, non summopere admirabitur una et piarum precum vim, adversis in rebus praesentissimam, et infinitam illam, nullisque verbis explicabilem sapientiam, providentiamque, qua suaviter simul fortiterque, ut sacrae literae docent, omnia disponuntur? Qui autem Estheris (qua veluti sequestra, ita dixero, ad asserendam innocentium Hebraeorum salutem, imminensque exitium depellendum, uti voluit bonorum omnium Largitor, et rerum Moderator omnipotens) praestantissimas, et maximas virtutes *

* *Magna fuit* Estheris *animae puritas, sinceritas, caritas; sanctitas.* Idem Corn. *in vers.* 18 c. XIV.

legendo suspicient, animum profecto ad Te fere omnes convertent, REGINA BENIGNISSIMA, *easque in Te non modo cunctas penitus expressas, ac eminentes recognoscent, sed aliarum etiam longe praestantiorum, quibus illa caruit, splendore ita circumfusas intuebuntur, ut, ne dum ipsi, suae religionis cultu spectatissimae Reginae, sed optimis quibusque, vitaeque sanctitate celeberrimis, omnis memoriae Matronis Te comparandam merito judicent: atque ut illi secundum Deum suam salutem, atque incolumitatem deberi Hebraea gens universa jure tunc profitebatur, ita et nos nunc tuis precibus acceptam magna ex parte referre oportere existimabunt eam tranquillitatem, qua ex aliquo tempore fruimur, et qua majorem etiam, longeque jucundiorem nobis propediem obventuram non immerito speramus. Reliquum est igitur,* REGINA CLEMENTISSIMA, *ut me simul cum Carmine tuae regiae clientelae commendem, Teque supplex obsecrem, ut persuasum habeas, me, cum tuae hujus in me benignitatis, clementiaeque memoriam, qua par est veneratione, culturum esse, quoad vixero, tum nunquam Deum*

O. M., hujusque Civitatis, ac totius regni Patronos immortales orare destiturum, ut Te ad ejusdem felicitatem, et gloriam, ad religionis decus, atque incrementum, ad omnium denique christianarum virtutum, quae regiam foeminam deceant, exemplar absolutissimum, sospitem, atque incolumem diutissime servent.

AD MARIAM ADELAIDEM CLOTHILDEM

SARDINIAE REGINAM AUGUSTISSIMAM

ESTHEREIS

LIBER PRIOR

Virginis Hebraeae formam, faustosque hymenaeos,
Atque animi decora alta cano, quamque ipsa salutem
Una suae peperit summo in discrimine genti,
Sollemnem referens divum auspice Patre, hominumque,
Imperio in magno victa de fraude triumphum,
Regiaque evincens aboleri immania jussa.
Non illa aut precibus parsit, lacrymisque decoris,
Dilecti patrui * mandata severa facessens,
Aut mortem extimuit dum, quae patriaeque, suisque
Instabant, fata, et saevas averteret iras.
Huc ades, auxiliumque feras, vatumque priorum,
Queis, magnam inspirans mentemque animumque, dedisti
Facta Dei, ac laudes Nabathaea per arva sonare
Flexanimo plectro, venturaque pandere fata,

* Mardochaei, qui filius erat Jair, nepos Cis, de stirpe Jemini, et tribu Beniamin, frater autem Abihalis, patris Edissae, a Mardochaeo, defuncto patre, adoptatae, et educatae. *Esther*, C. II. v. 7.

Dum relego * adnitens vestigia, numine pectus
Mì pervade tuo, Uranie, viresque ministra.

Tuque o! quam merito nulli pietate secundam
Fama canit, referens animi decora inclyta, passim,
Cura Dei ac Superûm, ac decus aulae insigne, MARIA,
Quas celebro laudes Estheris, versaque fata
Judaeae gentis, tum, quae res quasque, vicesque
Tam miris divina modis Sapientia torquet,
Mecum demirans, magno, quaeso, annue coepto.
Sic Pater omnipotens tua semper vota, precesque
Audiat, et positas in Te spes usque secundet.

Jam quater explerat, duodena per astra recurrens,
Sol iter axe suum, quartumque exegerat annum,
Noctes atque dies referens mortalibus, ex quo
E thalamo Assuerus *2, genus alto a sanguine Regum,
Rexque idem, populisque potens, opibusque superbis,
Reppulerat Vasthim (patrio cognomine Atossam

* Sacrorum vatum vestigia tunc potissimum ego legi, ac pro viribus pressi, quum *Bethuliam per Judith liberatam*, et an. 1758 in lucem editam scribebam.

*2 Qui nam ex Persarum Regibus fuerit hic *Assuerus*, Artaxerses ne, cognomento *Longimanus*; an Artaxerses Memnon; an Darius, Histaspis filius, viderint Interpretes; non enim ex sacris literis satis liquet, neque inter eos usquequaque convenit. Hac ego de caussa nunquam alio nomine, quam *Assueri*, quod nomen Persis omnibus Regibus fuisse commune fertur, eum appellavi.

Dictam una perhibent), soliique, iratus, honore
Dejectam, tituloque simul, quo incesserat ante
Spectanda, et multas jam fama impleverat oras,
Privatam ad sortem, cultumque, habitumque jacentis
Fortunae (miseram!) sede exturbaverat alta.
Nec tamen irarum tam longo ex tempore caussae
Exciderant animo: fixum immotumque manebat
Responsum indignum; spretique injuria jussi, I. 12.
Saepe recursando, refricatum vulnus alebat.
Ast ubi se se oculis forma pulcherrima Edissa *
(Nomine et hanc alio Estherem dixere priores)
Obtulit accitu ipsius, seque intulit altis,
Lecta omni e numero, tectis, claraque refulgens
In specie, atque oculos paullum demissa nitentes
Restitit ora notans subito succensa pudore,
Protinus illi omnes exsolvit pectore curas,
Vasthim abolens animo, sensusque ita vinxit, et ignem
Ossibus implicuit talem, ut defixus in uno
Haeserit obtutu, secum decora omnia mente
Perlustrans tacita dudum; ardescensque tuendo
Dein magis atque magis, miroque incensus amore
Praecipuam thalamo, totaque in regia haberi An. ab orbe cond. 3490 ex Calmet.
Jusserit, et regni consortem nomine dici.
Centum ergo famulae accedunt, ut jussa capessant;
Intentaeque omnes pendent circum undique ab ore;

* Postquam vero adlecta fuit in thronum regium, vocata est *Esther*, quod Persica lingua forte idem sonat, quod graecum *ἀςὴρ*, latine *Stella.* Tirinus in v. 7 cap. 2. Hinc nunc etiam vulgo apud Judaeos *Stellae* nomen puellis imponitur.

Tum Dominam passim per limina laeta frequentes,
Reginamque omnes festiva voce salutant
Unanimes proceres, summo et dignantur honore
Secum ipsi taciti, nullo unquam tale frementes
Ore decus nituisse. At Rex Dii nostra secundent
Coepta inquit, tantum qui fronti, oculisque decorem
Afflavere tuis; tuque o! jam suscipe dignam
Te mentem, et Regum incipias assuescere cultu;
Mox capiti, his dictis, et crinibus aptat habendo
Purpuream mitram, regale insigne, decusque *
Ipse sua dextra, nitidaque in sede locari
Praecipit, ac fausto resonant late omnia plausu.
Munera praeterea dat, summi pignus amoris,
Laetitiaeque suae, largus; tum copia facta,
Foemineum ad coetum, secretaque tecta reverti.
Est urbe in media triplici circumdata muro
Tecti augusta, ingens, centumque innixa columnis,
Multorum impensis operum, et late ardua moles.
Horti in conspectu immensi, quos plurima, in unguem
Arboribus positis, via dividit, inque virentes,
Floreque praecinctos vario, et beneolentibus herbis
Pulvinos passim plantarum intersecat ordo.
Hos autem juxta signis, tabulisque decori
Hinc, atque hinc xysti innumeris, atque atria surgunt.
At domus interior cultu exornata superbo,
Mirum opus, et centum in penetralia celsa, magistro

* Posuit diadema Regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vasthi. *Esther.* C. II v. 17.

Divisa ingenio, auroque argentoque renidet.
Has habitant omnes nullo discrimine sedes,
Quae numero e magno adlectae servantur, ut altum
Ascendant Regum, ut quaeque est accita, cubile;
Semivirûmque manus stridentia limina servat
Noctes atque dies, victumque, et quidquid ad oris II. 18.
Augendum decus aut auri, nitidique lapilli,
Aut Syrii unguenti, aut costi, nardive fragrantis
Quaeque optet, faciles, sic Rege jubente, ministrant.
Quae vero turba e tanta dignata superbo
Conjugio una fuit, soliique in parte recepta,
Purpurea in chlamyde insignis, sertoque decoras
Incedit praecincta comas; huic certa, nitensque
Fulvo auro, ac gemmis, pictisque tapetibus uni
Ipsis sub tectis sedes pulcherrima ridet:
Hincque aditus multas inter, nitidasque columnas
Porticibus longis ad celsa palatia Regis
Occultus patet. Has ergo deducta sub altas
Tandem aedes nova Nupta novo cumulatur honore
Foemineo a vulgo, et tentant nova gaudia pectus.
Namque ubi regali, quod circum tempora serpens
Fulgebat, serto, et comitum stipante caterva,
Incessuque ipso patuit Regina, secundo
Protinus exceptam plausu e statione frequentes
Quaeque sua effusae Dominam agnovere puellae
Illam omnes, facilemque una sibi quaeque, bonamque,
Certatim venerans, prisco de more precatur.
Nec tamen hos inter, quibus undique personat ampla

Jure domus, plausus, tanto in splendore, tot inter
Delicias, unique sibi, luxuque paratas
Regifico, ac tanto, titulisque insignibus aucta,
Fastu animos tollit, vel quemquam despicit: omnes
Erigit alloquio ad spem magnam, atque ore benigno
Prosequitur cunctos, quos solvit quisquis, honores.
Jamque adeo latebras, non audens prodere se se,
Ipse petit livor comitum, subitumque in amorem
Vertitur in multis, et carpit mitius omnes.
Ast ubi defluxit tandem, jam sole cadente,
Unda salutantum, ác se se penetralibus imis
Intulit ipsa suis, gemmas, mora nulla, nitensque
XIV. 16. Sertum adimi jussit capite, et redimicula cuncta;
Mox nitidum, iratae similis, rejecit amictum,
Ornatumque omnem: inseditque modestia fronti,
Qualem saepe prius sociae stupuere puellae;
Tum precibus supplex divinum Numen adorat,
Det patrios ritus caste servare, et avita,
Quidquid fata parent, in relligione manere,
Mandatisque patris *, dederat qui multa, tenellam
Informans mentem, ac monitis parere, nec unquam
Ulli, destituens, patiatur cedere culpae;
Nec lacrymis, fundens haec vota e pectore, parcit.
Diditur interea laetus per compita rumor,
Perque domos cunctas, totumque exinde pererrat
Imperium late, Pontumque, et Caspia Regna

* *Mardochaei* nutricii, et patrui *Estheris*, ut sup.

Implet, et AEthiopum campos, Gangemque sonantem,
Niliacasque oras longe, et Garamantas et Indos;
Itque polo passim, volitatque per ora virorum,
Quam latum est regnum, felicis nomen Edissae.
At genus, ac sanguis Nymphae, et quae patria tellus
Omnibus obscurum est Persis, Rexque inscius ipse;
Illam etenim patruus, primis qui solus ab annis
Eduxit miseram, amissisque parentibus, orbam
Optavit natam, et patrio dilexit amore,
Illam Jarides, augusta ad limina ducens II. 10.
In spem conjugii, studio celare sagaci
Jusserat antiquam stirpem, patriamque, domumque;
Namque fore illustrem regno, totumque per orbem
Summus honos frontis, moresque, ac vivida virtus
Spondebant sibi, ni fata in contraria vertat
Invisum genus, atque hebraeae stirpis origo:
Nec porro in tectis, jussorum haud immemor, unquam,
Ipsa suam patriam cuiquam, stirpemve rogata
Prodiderat, Regemque adeo celaverat ipsum.
Tantus amor patrui; sic jussa facessere pergit.
Editus hic Solymis jeminique e sanguine prisco
(Judaeo perhibent de nomine Mardochaeum
A puero dictum) metuenda ad limina Regis
Sedulus atque vigil custos jam tempore ab illo,
Quum, duce se, tectis successit Edissa superbis,
Degebat, natae primum magno actus amore,
Ut quae spes illi, quae sors hinc discere posset;
Regis mox jussu, et certa statione locoque:

Namque ubi deprensi manifesto in crimine sontes
Illius indicio subitasque, acresque dederunt
Informi letho poenas, immane luentes
Flagitium duo semiviri *, quod perfidi in ipsum
Regnatorem Asiae Assuerum, regnumque parabant,
Protinus haud notum, ingenti virtute, fideque
Laudata, Hebraeum jussit dereptus iniquo
Rex fato, donis augens *2, majoraque spondens,
Innumeros inter, qui regia limina servant,
Versari assiduum, ac veniendi quaerere cunctis
E Persis caussas, aditum qui forte rogarent.
Nomen praeterea patrio de more referri
Indicis, ac meritum memorandum jussit in acta.
At jam fama volans regnum pervaserat, atque
Primorum multos augustae acciverat urbi,
Fervebantque viae late, et crebrae undique coelo
Faustae ibant voces venientum, atque alta petentum
Moenia; certatimque omnes clamore secundo
Se se invitantes celebrabant compita laeta:
Qualis ubi, indicta, lustris volventibus, olim
Ludorum pompa ab Grajis, magnoque paratu,
Late omnes, instante die, matresque, nurusque,
Visendi studio, juvenesque senesque ruebant
Alphaeum ad fluvium, summae ad certamina laudis:

* *Bagathas*, et *Jaras*, eunuchi Regis, qui janitores erant . . . . . voluerantque insurgere in Regem, et occidere eum II. v. 21.

*2 Praecepitque ei Rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus. C. XXI. v. 5.

Quisque suos comitans, quos vivida, et inclyta virtus
Clarabat, meritaeque alias jam praemia palmae,
Quosque ingens studium, laudisque arrecta cupido,
Innatusque vigor, stimulos sub pectore vertens,
Ad prima insuetos adeunda pericla vocabat.
Namque, ubi praestanti Rex forma captus Edissae,
Sidereisque oculis, et raro frontis honore
Accensus pectus, Reginam nomine dici
Ipsam unam jussit, soliique in parte recepit,
Unde exsul Vasthis, non tantum et lauta parari
Ut mos, praecepit magno convivia luxu *,
Omnibus et templis sollemnem indixit honorem,
Sed monita id voluit late omnia dissita regna,
Optavitque alas ipsi posse addere famae.
Hinc ingens adeo, patriis quae sedula ab oris
Turba virûm subito affluxit juvenumque, senumque.
Jamque dies aderat, qua Susis *2 laetior unquam
Nulla fuit, cunctis quum primum regia tecta
Assueri imperio patuere, epulaeque paratae
Regifico luxu. Vis ergo plurima passim
Protinus expromta aurique, argentique: nitescunt
Hic abaci, hic lances, lucent hic pocula gemmis
Distincta, inque auro Regni decora alta, Patrumque

* Et jussit convivium praeparari permagnificum cunctis Principibus, servis suis pro conjunctione, et nuptiis *Esther.* II. 18.

*2 Susa urbs Asiae, et Susianae regionis caput, et Regia, ad Eulaeum fluvium, dictum etiam Choaspem, a *Memnone* condita, de qua *Propertius*
Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis.

Caelata effulgent. Nitet ars, et signa videntur
Omnia spirare. Hinc *Othanes* effusus in iras
Cernitur, et socios in *Smerdim* * accendit, amici
Fraude Patazitis, regali in sede locatum,
Cambyse extincto, cui se moresque, genusque
Mentitus fratrem, Cyrique e sanguine cretum
Jactabat temere, vulgi corda inscia fallens.
Hinc Histaspe satus, mox Rex, et septimus illis
Additus, ac studio flagrans majore, *Darius*
Approperandum ausum manibus contendit, et ore
Acer, et hortanti similis, similisque acuenti:
Audacesque animos cuncti, generosaque corda
Naviter effícti ostendunt vultuque oculisque;
Dein animosa cohors, caesis custodibus, ipsum
Ense ferox Regem se se cum fratre parantem
Defensare armis frustra, subito impete adorti,
Sternere tendebant meditatae caedi, et ab ictu
Elapsum in tenebras *Gobryas* complexus, inhaerens
Voce videbatur socios accire, citusque,
Qua vox audita, auxilio subiisse *Darius*:
Addideratque opifex accendentem ora furorem,
Ancipitemque metum, caeco ne vulnere mortem
Inferret socio immerito, *Smerdique* salutis
Spem daret, ac nodum imprudens exsolveret arctum.

* *Oropastem* magum, qui assumta persona *Smerdis*, filii *Cyri*, et fratris *Cambysis*, regnum occupaverat. *Marchini de Divinitate, et Canonicitate Sacr. Bibl.* Taur. 1777 pag. 185. V. *Justin.* lib. 1 c. IX, ubi *Mergis*, non *Smerdis* fictus ille magus appellatur.

At parte ex alia rea voti, caede peracta,
Diis meritos manus illa eadem solvebat honores;
Mox in equo positum concordi foedere * signum
Cuncti exspectabant, cui nam fausto omine regnum
Adnuerent Superi; Regemque repente *Darium*
Parte alia effecti dicebant, aurea serta
Nectentes capiti, et venerantes poplite flexo.
Fortia praeterea aspiceres ex ordine facta
Plurima, queis Regis magnum increbescere nomen
Coeperat, atque virûm late volitare per ora.
Cernere erat letho demissum perfidum *Oretem*
Littore Pactoli, Sardisque in moenibus altis:
Nec procul hinc centum infidae Babylonis ahenas
Effractas portas, turritaque moenia strata,
Impositumque jugum rursus, domitosque rebelles;
Tum prope lugentem extuderat sua tristia fata
Fulvo opifex auro perfractis cornibus Indum.
Quid memorem illusas auri subtemine vestes?
Quid gemmas, pictosque toros, mensasque nitentes?
Harum autem partem conjunctis plurima in hortis
Ostri vis umbrat, partem mentita colorem
Caeruleum, aut molles hyacinthos serica tela, I. 6.
Insertusque ebori, et celsis, nitidisque columnis
Suspensus funis, getulo e murice fulgens

* Pactique inter se sunt, ut, die statuta omnes, equos ante regiam primo mane perducerent, et, cujus equus inter solis ortum hinnitum primus edidisset, is Rex esset. *Justinus* lib. I. c. 10.

Omnia sustentat, quae late umbracula pendent *.
Interea Assuerus se se ex penetralibus altis
Extulit in chlamyde, auroque, argentoque rigenti,
Persarumque illum primi, et manus inclyta, ab oris
Externis veniens comitatur; laetaque faustos
Certatim instaurant amplae urbis compita plausus:
Namque ut, quum festis moles operosa diebus
Surgit, et excelsas turres imitatur, et arces
Externa specie, quaque est circumdata, tela,
At latet interius nitrati pulveris ingens
Vis, turbam innumeram delectatura flagrando;
Tunc, ubi praecipiti cita lapsu aurata columba,
Eminus exsiliens pennis stridentibus ignem
Admovet, ore ferens perfusum sulphure restim,
Ilicet insinuat toto se fomite velox
Ignea vis, sequiturque fragor, strepitusque rotarum
Hinc inde, ac reboant nemora omnia, tectaque late,
Fumidaque ad coelum se nubes volvit, et infra
Lumine diffuso splendescit, et aestuat aër;
Haud aliter totam pervasit protinus urbem
Ante fores primum sublatus, celsaque circum
Moenia, quae cingunt regalem amplissima Sedem,
Unanimis turbae, faustissima cuncta precantis

* Sinarum Imperatores multo ante tam magnificis hisce apparatibus suis in conviviis sollemnibus usi feruntur. V. quae in hanc rem ex commentariis *Cibot in lib. Esth.* memoriae prodita sunt eo in Opere praestantissimo, cui titulus *Mémoires concernants les Chinois*, edit. Lut. Paris. 1789 tom. 14 pag. 310. *Parallele des moeurs, et usages des Chinois, avec les moeurs, et usages décrits dans le livre d' Esther.*

Clamor, et effervens fremitus, plaususque faventum.
At manibus tandem data lympha, atque ordine stratis
Convivae aulaeis cuncti discumbere jussi.
Mille igitur trepidant intus, perque atria mille,
Ingressumque horti famuli, dapibusque paratis
Hi mensas onerant, atque aurea pocula ponunt,
Illi onera accipiunt venientum, et fercula adornant;
Pars cyathos statuunt; pars adstant ordine longo
Hinc inde ad Regis spondam, ut mandata capessant;
Continuantque dapes alii; pars vina ministrat;
Perque hortos passim, per xystos, longaque cuncta
Atria, quae vincant noctem, funalia pendent.
Jamque exemta fames, dapibusque epulatus opimis
Quisque erat, et crebro felicis, et inclytae Edissae
Iverat interea, atque Assueri nomen ad astra;
Tum vero laetis se se chorus omnibus infert
Protinus, ut jussus, tectis, fidibusque canoris
Leniter impulsis, celebrat nova gaudia cantu;
Dein canit Assueri simul omnia, et omnia Patrum
Inclyta facta, lyrae socians, partosque triumphos,
Edomitasque armis gentes, fractumque subacti
Assyrii infidi saevum, insanumque furorem,
Impositasque Asiáe leges, moresque sacrorum;
Et passim interea circum, alternisque per urbem
Sublatae resonant voces, plaususque secundi,
Signaque laetitiae certatim plurima cuncti
Dant Persae, externique omnes juvenesque senesque.
Tum multam in noctem cantus, hilaresque choreas

Imperat Aſſuerus produci, ſicque deinceps
Multos porro dies convivia laeta agitari.
Quin et ludorum ſollemnem, gaudia captans,
Indicit pompam, totamque ad praemia pubem *
Accendit procerum, certamina equeſtria ponens.
Ergo, ubi puniceis invecta aurora quadrigis
Laetae urbi lucem dimotis rettulit umbris,
Protinus et juſſos cecinit cava buccina ludos,
Et juvenum ſimul exſultans in veſte nitenti,
Egregiiſque in equis campo manus adſtitit ingens.
Olli ardens ſtudium par pectore, et aemula virtus,
Par itidem ornatus cunctis: micat omnibus auro
Illuſa, et gemmis inſignis tempora circum
Mitra; rubet ſurgens rutilo de vertice criſta,
Innexique auro crines, vittaque rubente
Collecti in nodum: Syrio chlamys omnibus undat
Murice perfuſa, effulgetque e cruribus aurum.
Quin ſonipes etiam pariter ſplendeſcit in oſtro,
Inque auro cunctis, paribuſque inhibetur habenis
Ore agitans fraenum auratum, capite arduus alto,
Pectoreque oſtentans demiſſa monilia collo.
Pulcrum agit Artamenes, Regis pulcherrima proles
Artamenes, ludiſque iſtis clariſſimus, agmen;
Poſtque hunc Artyphius cognato e ſanguine cretus,
Artabanoque ſatus ſequitur: dein ordine laeti

* V. Salmon *Lo Stato preſente di tutti i paeſi, e popoli del mondo. Venetiis* 1738 tom. V pag. 58, ubi hujuſmodi ludi, a Perſis fieri ſoliti, deſcribuntur.

Daurisesque, Hymeesque, pares florentibus annis,
Et certare pares cursu, levibusque sagittis,
Cumque his Sisamaces, Anaphesque, et corpora suetus
Belvarum Myrses jaculo exercere, et equorum
Terga fatigare hinc silvas clamoribus implens.
Tum satus Artybio Abrocomes, campoque feroces
Doctus equos cursu domitare, et ludere Amorges.
Jamque ampla in cavea passim juvenumque, senumque
Circumfusa ingens undabat turba, suoque
Cornipedes spatio strictis cohibere lupatis
Vix poterat generosus eques, spe maxima dona
Praecipiens, stimuloque acri quoque percitus ipse,
Impatiensque morae, quum Rex e sedibus altis,
Ingenti medius procerum stipante caterva,
Se tulit incedens, totoque repente theatro
Undique sublati iverunt ad sidera plausus.
Vocibus et laetis resonabant moenia celsa,
Quae celeres lambunt Eulaei fluminis undae.
Ergo statim in medio, sublimi ubi sedit eburno
Rex solio, et circum proceres, pulcherrima dona,
Praemia victorum, prisco de more locantur;
Principiumque simul certaminis aere sonanti
Jussus praeco canit; dein jactat ad aethera magnam
Tomento ingesto, et perfusa murice pelle
Conflatam tales pilam in usus. Nec mora terni
Hinc celeres, atque hinc, spatia in sua quisque profecti,
Praepeti equo ilignum assiculum, cui palmula nomen,
(Haec illis arma primo in certamine sumta)

Fervida agunt dextra, versantque per aëra follem.
Jamque hic pronus equo venientem exspectat, et ictum
Torquet humo attollens; hic se citus eminus effert,
Qua venit emissus, magno impete, et ilice dexter
Excipit opposita assiliens, rursumque sub auras
Jactat agens, celerique petit, doctoque recursu
Desertum spatium, intentusque iterum apparat ictum;
Ille modo in gyrum eximia scitissimus arte
Flectit equum; adductis modo loris surrigit alte,
Immotusque haeret genibus subnixus, et inde
Stridentemque globum, rectaque superne volantem,
Summo vix ligno, toto plaudente theatro,
Poneque nequicquam sociis clamantibus ad se
Emissum, exceptat, mediumque haud impete magno,
In spatium adversis, primoque sub ore retorquet.
Jamque locum capiunt, digressis protinus istis,
Terni alii, ac terni, dein porro caeteri, et omnes
Rege palam ludunt, populique inhiantia mira
Dexteritate tenent, crebrisque assultibus ora.
Ast Anaphe, ac Hymee, Regisque e sanguine creto,
Artamene melius grata in spectacula nemo,
Flexit equum, aut celeres torsit felicius ictus;
Nec studiis caveam accendit majoribus, omnem
In partem versans liquidum per inane volantem,
Jactatumque globum; et spectantum lumina pascens.
Nec tamen hic tacitum Artyphium, Abrocomenque relinquam:
Nec mihi Sisamaces post hos indictus abibit,
Conscia queis virtus primum spondebat honorem

Acriter exstimulans, at fatum invidit iniquum;
Namque ubi jam bino Artyphii pila concita pulsu
Striderat, ac totidem Abrocomis, rursumque sub auras
Torserat, opposito accurrens ille objice, et inde
Sisamaces jactum nisu majore parabat,
Ecce ad humum vergens cadit eminus illa, nec alte
Assilit, et frustra volat iste, ac fervidus adstat.
Ergo alacres subeunt Hymeesque, Anaphesque relictum
Artamenesque una spatium, sociique vicissim,
Qui sibi sorte dati, quique usu atque arte minores.
Primam illis laudem facile hoc certamine victi,
Praemiaque inviti campo cessere abeuntes.
Jamque dato signo volat aëre concitus alte
Hinc globus atque illinc, Hymeesque, Anaphesque datatim
Artameni obtrudunt adverso in limine stanti;
Hic autem, mira sociorum animosque, vicesque
Dexteritate gerens, nunc huc, nunc protinus illuc
Evolat acer equo, nuncque arduus ilice summa
Alternat certos, modo pectore pendulus ictus:
Jamque agit in gyrum, aut sua per vestigia retro
Cornipedem flectit doctum parere lupatis;
Jam citat immissum, et ferrata calce fatigat;
Jactatusque globus crebris sonat ictibus actus,
Et volat ad metas a limine, et usque recurrit;
Nec mora nec requies. Sic quondam Cecropis ales
Pabula grata legens, aut atria, stagnave lustrans
Itque reditque viam relegens prope semper eamdem.
Jamque inhians circum stupet ingens turba, fremitque

Victorem Artamenen, postque hunc Anaphenque, Hymeenque,
Hisque animo palmam, et primos assignat honores;
Et tacitum Assuero pertentant gaudia pectus
Interea. Tandem incertum lusorius exit
Ictum Anaphis globus, et studiis, fremituque tuentes
Consurgunt omnes, laetusque it ad aethera clamor.
Tum Rex, ad se se cum Nato Hymeenque Anaphenque
Advocat, et primos palmae declarat honores
Promeritum ex ipsis quemque, ac ingentia dona,
Praemia victorum, toto plaudente theatro,
Dein dat habere; auro insignes, ostroque superbo
Donat equos, ensemque auro, gemmisque coruscum,
Loricamque una cuique, et simul ista profatur:
Macti animo, ac virtute omnes, sic inclyta demum
Facta Patrum, juvenes, justo in certamine belli
Fas erit aequare, et fama contendere ad astra:
Nunc vos, nunc aliis ludis aptate, aliamque
(Praemia certa manent) jam spe praesumite palmam.
Haec fatus sibi dona jubet, solatia victis,
Afferri, galeasque viris largitur, et enses,
Et fraena, et phaleras, clypeosque, ac laudibus inde
Praeterea Artyphium, Abrocomenque ingentibus ornat,
Sisamacique suum post hos etiam addit honorem.
Hinc alium ad ludum conversus quisque; novosque
Laudis amor stimulos subjecit cordibus ardens;
Et nova fulserunt medio, majoraque campo
Praemia, quae rursum posuit victoribus ipse
Rex animos acuens, verbisque hortatus amicis

Egregïam pubem, quamvis jam sponte paratam,
Flagrantemque ultro palmae victricis amore.
Est amplo in campo spirantibus aspera signis,
Atque novem cubitos, non amplius, alta columna
Robore de solido, conum quae supra in acutum
Exit, et humani susceptam vertice summo
Sustinet effigiem capitis, levibusque sagittis
Ostentat metam (fulvo auro perlita fulget);
Quique loco auricomum, fodiens calcaribus armos
Acris equi immissi, movet ictu, ac dejicit altum
Inde caput, palmam fert ille, et praemia victor
Sollemni ex lege, ac fremitu, plausuque theatri
Protinus excipitur; nomenque ad sidera fertur.
Ergo statim egregiae, et rursum certare paratae
Accipit injectum pubis galea aerea nomen;
Excussaque urna, primo certamen inire
Sorte datur; reliquisque suus dein ordine cunctis
Post illum locus, ut quisquis fulvo exiit aere.
Nec mora: jam pictae ex humeris, gravidaeque pharetrae
Cunctis dependent, quas subligat armiger auro
Intextis vittis, multis et fibula gemmis
Perstringit rutilans; arcumque levesque sagittas
Expediunt alacres, onerantque inde aethera votis.
Jamque, dato signo, ruit ante, acerque flagello
Insonat (ipse etenim primus clamore secundo
Exierat) summo digressus limine Amorges,
Correptoque volans spatio, ac fulgentia laxans
Fraena, scopum adducto petit arcu; et missile ferrum

Dirigit; at frustra: non ipsum attingere lignum,
Non aurum licuit, primumque in dedecus omen
Nisu infelici vertit, sortisque favorem;
Nec, qui successit, patulumque secundus inivit
Procurrens spatium, Abrocomes felicius actum
Contorsit rigido ferrum trusatile nervo;
Namque prope adlapsum volucres frustra impulit auras
Hoc etiam stridens, magna licet arte vibratum;
Pressaque, qui intorsit, moesto vestigia vultu,
Dejectusque oculos, quippe indecor, inde relegit.
Sicque Anaphes rediit, sic mox Myrsesque, Hymeesque,
Tela licet soliti silvis torquere, ferasque
Exagitare arcu, et velocia terga ferire.
Laetior Artamenes, parta modo laude superbus
Muneribus patris, spatia in sua deinde revertit,
Curriculum emensus, sed non primo auctus honore,
Auro etenim subter, conoque infixa columnae
Multo cum sonitu nervo acta sagitta pependit,
Quam media e cavea laxis librarat habenis
Procurrens; tremuitque caput in vertice summo
Concussum, et laeto sonuerunt omnia plausu.
At non mota loco effigies, nec corruit ictu.
Ergo datum Artyphio signum, cui ludere deinceps
Obtigerat sorte, et discrimen septimum inire,
Quique morae impatiens primo jam limine stabat,
Aptatoque habilem calamo sinuaverat arcum:
Nec mora: crinigero fraena undant aurea collo
Acris equi: summa signum rapida ungula arena

Vix linquit, lustrans spatium, et capite arduus heros,
Nusquam oculis metam dimittens, dirigit ictum.
Tum demum admissus sonat arcus, et insonat una
Emota effigies volucris pulsu acta sagittae
In praeceps, telique acies summo impete adacti
Fracta simul ruit, et post illam caetera arundo;
Mox resonat laetis circum clamoribus aether,
Artyphiumque canunt victorem compita quaeque.
At non aequo animo Abrocomes, sociusque paratus
Post ipsum Artybius latum decurrere campum,
Praereptam palmam speratam, et prima tulere
Praemia, defunctisque adeo non omine fausto
Jam cursu, exarsit dolor imis ossibus ingens,
Subjecitque ori pudor ignem, et conscia virtus,
Et tacitus cunctis peredebat pectora livor,
Sicut, ubi exercent eadem simul arva coloni
Certatim plures, subiguntque agrestia tesqua,
Tum si forte aliquis, defossum tempore prisco,
Altius impresso magnum auri pondus aratro
Eruat, et subita captus dulcedine mentem
Ostendat sociis, illi fata invida secum
Incusant tristes, intabescuntque videndo.
Nec tamen ingenti sine spe, nec segnis inivit,
Dein spatium Abrocomes, ubi denique laeta theatri
Signa quieverunt, missaeque ad sidera voces;
Immo alacer, primos si sors invidit honores
Jam nobis, tendamus, ait, nunc ferre secundos;
Continuoque ruens, Phoeboque in vota vocato,

Una et equum admisit, jaculumque intorsit, et ictu
Felici effulgens caput alto e culmine movit,
Et jaculi signum media inter tempora liquit.
Quare instaurati plausus, fremitusque tuentum
Undanti in campo late, caveamque per omnem,
Artybiusque acri, majora ad praemia cernens
Spem sibi praecisam fixus stetit inde dolore,
Nec metam infelix, quernumque attingere fulcrum
Ingressus post paullo aequor, vectusque superbo
Altus equo valuit; nec, qui subiere deinceps,
Ordine certantes jactu potuere secundo
Laetari, et positae aspirare ad praemia palmae.
Tantum Daurises signi foedavit acuta
Cuspide praestantem caelato in robore vultum
Conum infra, et ligno stetit alte infixa sagitta.
Primam ergo Artyphio palmam, Abrocomique secundam
Rex dedit, accitis ad se se, atque ingentia dona
Virtutem laudans, haecque addidit insuper ore:
Haud unquam o juvenes, quamquam magna omnia spondet
Ista mihi virtus, inter decora alta futura
Postrema haec vobis fuerit victoria fama.
Quare agite, ac laeti meritum jam carpite fructum,
Auspiciisque istis cernat digna inclyta facta
Jamdudum Persis, vestrumque ad sidera cuncti
Attollant cives clarum per compita nomen.
Haec ubi dicta, sua Artameni quoque munera jussit,
Daurisique sua afferri, nec laudis honori
Parsit eos donans: tum curas demere corde.

Et sociis tendit donis, verbisque benignis:
Mox proceres inter repetens vasta atria laetus
Ludicra dimittit, memores quae jure minores
Servarunt, gaudentque hodie instaurare quotannis.
Muriera quid referam, in populos divisa viritim II. 18.
Et Bacchi, et Cereris multa, argentique talenta?
Quid titulis cives, summis et honoribus auctos?
Quos inter princeps, ipsoque a Rege secundus
Ibat Aman * rutila praecinctus tempora mitra,
(Externi perhibent Amadathi e sanguine cretum)
Elatoque ferox animo, populique patrumque
Jussos exsultans passim captabat honores,
Qualis ubi ex imo se denique frigidus antro
Vere novo coluber dias in luminis auras
Proripit emergens, spoliisque repente, situque
Deposito exsultat nitidusque ferusque juventa;
Hincque inde apricans sinuosa volumina versat,
Et caput attollens micat arduus ore trisulco.
Callidus hic rectos facie mentitus honesta
Jamdudum, et verbis mores, nedum inscia vulgi
Pectora, sed proceres una fallebat, et ipsum
Consilio Regem, et sollerti mente potentem;
Involvensque diu noctis caligine caeca
Et scelera, et fraudes, speciosaque nomina pravis
Obtendens factis studiumque, artesque nocendi

* In cap. 3 v. 1 appellatur filius *Amadathi* de stirpe *Agag*. In cap. 16 v. 10 filius *Amadathi*, et animo, et gente Macedo.

Mendaci specie, et simulato pectore texit,
Donec eum ad summi fastigia vexit honoris
Immeritum ambitio, et fallax virtutis imago,
Insignemque auro dedit ire, ostroque superbum.
Tunc vero, tunc tecta diu se prodidit ultro
Improbitas tandem, atque odio insaturabile pectus,
Quaeque homini notae fraudes, visque effera mentis.
Forte, genu ante ipsum flexo quum sisteret omnis
(Sic etenim haud pridem deceptus imagine falsa
III. 2. Jusserat Assuerus prisco de more parentum)
Turba virum gressus, quacumque incederet acri
Vectus equo, aut curru, aut pedibus capite arduus alto;
Jarides modo, seu quod relligione vetari *
Crederet id patria, ut potius reor, utque putandum est,
Ordine seu fati occulto, aut coelestibus actus
Auguriis, monitisque, hominem dignatus honore
III. 4. Haud erat optato, subitoque id plurimi Amani
Rettulerant, verbis crimen fatale gravantes.
Quare illi tumidas confestim exarsit in iras
Pectus, ut admota furit ignis, et aestuat esca;
Impatiensque morae, et stimulis agitatus iniquis *2

* Mardochaeus ipse in C. XIII v. 14 veram caussam affert., propter quam noluit Amanem adorare: timui (inquit) honorem Dei mei transferre ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. V. *Corn. a Lap.* in v. 2 C. III.

*2 Acres ad iram stimulos ei addebat supplicii recordatio, duobus illis de eunuchis sumti, ob Mardochaei delationem, qui eunuchi intimi erant Amani, ut *Josephus Gorion* scripsit, imo Consiliarii, illiusque rebus per omnia studebant. *Tirinus* in v. 21 cap. 2.

Saevi odii, haud meritas ardens exposcere poenas
Tendebat, variosque modos secum ipse putabat,
Multiplices artes furiato pectore versans.
At non poenarum satis esse absumere letho *
Unam animam tandem succurrit, et ilicet omnem
Proh scelus! innocuam Judaeam exscindere gentem
Constituit simul, imperium quae sparsa per amplum.
Ergo, licet caedem violentia mentis adurget
Maturare viri, atque odium exsaturare cruore,
Dissimulat tamen, et premit acrem corde furorem,
Ne pereat solus, si fas, sed concidat una
Communi exitio generis spes denique tota.
Haec sedet illi animo sententia dira, feroxque
Haec cor cura coquit, stimulisque ardentibus urget.
Jamque diu secum meditato haud causa subibat,
Vel levis, immeritam qua gentem perdere posset,
Inque sui studium Assueri, si forte labaret,
Expugnare animum, residesque impellere sensus;
Cum tandem e stygio media de nocte barathro
Adstitit horrificos innexa calumnia crines
Vipereis nodis, virusque inspersit acerbum
Linguae, orique suum, et furiales pectore flammas

* Quod quum audisset *Aman* . . . . iratus est valde, et pro nihilo duxit in unum *Mardochaeum* mittere manus suas: audierat enim quod esset gentis Judaeae: magisque voluit omnem Judaeorum, qui erant in regno *Assueri*, perdere nationem. C. III v. 5. 6.

Subdidit illum acuens verbis, et crimina adornans.
Nec mora; digressa, qua non est saevior ulla
Sedibus infernis, jam peste, et nocte fugata,
Laetus adit Regem, vultuque, et voce dolorem
Insimulans, pravam sic linguam in crimina solvit.
Quamquam nulli hostes bello, Rex maxime, aperto
Ex cap. III. Imperio in tanto, et tam claro, ac nulla videtur
Vis metuenda tibi, cui tantum pectore robur,
Cui tot sunt acies, tot propugnacula tuta,
Non tamen expertem me publica cura timoris,
Non mea casta fides patitur, quodcumque minetur
Intestinum odium, sive ira externa, periclum.
Nec me sollicitum male fisi viribus hostis
Arma tenent, in te forte, imperiumque parata;
Nam cui tanta animo vis sit? cui audacia tanta?
Civiles motus timeo, insanosque tumultus;
Namque ea, quam nosti cunctas volitare per urbes
Dispersam late tua per florentia regna,
Seditione potens, rerum et studiosa novarum,
Gens Judaea novos ritus, vetitosque sacrorum
Inducens mores, animos, mentesque tuorum
Compositis verbis in Te temeraria acerbat,
Et tua contemnit jussa, et parere recusat.
Haec ego, Rex, vereor quo se se audacia vertat,
Nec prius absistam regnoque tibique timere,
Quam penitus pereat communi funere mersa
Seditionis amans gens ista, inimicaque Persis.
Quare age, meque metu, Rex optime, solve, tuoque,

Nascentem extinguens hanc pestem, consule regno:
Praeter enim laudem, jussum quae magna sequetur
Hocce tuum, et victa aeternum de fraude triumphum,
Millia de exuviis facti, infectique redibunt
Hinc auri (haud incerta cano) tibi multa talentûm.
His dictis, magna Rex ira protinus ardens,
Quippe doli ignarus, stimulisque immanibus actus
Immeritam in gentem, tibi sint, ait, ista talenta
Omnia, quae spondes, modo fraus inimica, furorque
Vi cadat oppressus, penitusque hac peste nefanda III. 10 11.
Exhaustum hinc regnum placida mox pace quiescat.
Te penes haec igitur sit cura, omnisque potestas
Audaces adeo, quibus obstat gloria nostra,
Insanosque homines fraenare, ac sumere poenas;
Consiliique mei tibi testis hic annulus esto.
Nec plura effatus digito detraxit, eique
Tradidit obductum gemmis fulgentibus aurum.
Ille domum rediens tectis digressus ab altis
Protinus et frontem furto laetatus iniquo
Sollicitam explicuit, scelerataque gaudia testans
Et vultu et verbis, mensemque diemque in amico
Sortitur coetu, invisam quo exscindere gentem
Apparet, ac totum Judaeum extinguere nomen.
Adstant suspensi, dum sortes excipit urna,
Circum homines, et Aman medius secum omnia versans,
Concussoque exit bissenus mensis * ab aere,

* Qui mensis, *Adar* a Judaeis dictus, nostro februario respondet.

Quique dies illum in partes prope dividit aequas
Tertius a decimo, qui *Phurim* postmodo dictus.
An. ab orbe cond. 3495. Nulla mora est igitur: Susis crudelia passim
Jussa dein pendent, edictumque, arma parari
In genus Hebraeum, nullo et discrimine gentem
III. 13. Exscindi aut ferro, aut flammis, nomenque aboleri;
Perque omnes urbes missi qui dira reportent
Imperia, et caedis doceant tempusque modumque,
Cunctaque praecipiant temerari sanguine tecta.

LIBER POSTERIOR

Quis mihi nunc verbis acrem, immanemque dolorem,
Qui subito cunctis, increbescente per urbem
Hac fama, immeritis Judaeis arsit in imis
Ossibus, expediat? stupor artus, oraque primum
Occupat, ac tacito tenet omnes undique fixos
Obtutu alterno; tum quisque et pectora palmis,
Fletibus ora rigans sibi tundit, et omnia late
Aspersus cinere, ac gemebundus, questibus implet;
Crudelis veluti quum muros obsidet hostis
Magnae urbis, jam jamque aditus patet uspiam ahenis
Tormentis late per propugnacula strata
Vi factus, miserosque atris circumvolat alis
Jam mors obsessos, falcemque coruscat aduncam.
Ast alios inter Jarides voce dolorem,

Et gemitu, lacrymisque suum prodebat acerbis; Ex C. IV.
Seque incusabat tacitus, saevaeque futurae
Ultro appellabat cladis crimenque caputque,
Quod, licet haud meritam, diri accendisset Amanis
Iram terribilem, et non exorabile pectus.
Jamque per eunuchum patrui gemitusque, gravesque
Audierat questus mirans, turbataque Edissa,
Et subito caussas tam magni poscere luctus
Miserat icta animum; quas dum, simul ordine pandens
Cuncta, refert famulus, patruique haud mollia jussa,
Regis ut accessum petat ipsa, viamque salutis, IV. 8.
Si precibus, lacrymisque locus, sat idonea fandi
Tempora nota legens, cunctis recludere tentet,
Heu quos illa fero pectus concussa dolore,
Vixque sui compos gemitus dedit, ora, sinumque
Humectans lacrymis, peragensque instantia secum
Fata suis, frustraque optans afferre levamen!
Me ne ad conspectum Persarum Regis, et ora
Injussam, ajebat, monet ire, et vocibus ultro
Compellare virum, precibusque ambire molestis,
Ut sua jussa bonus revocet, legesque refigat?
Id ne pater vetitum jubet ignorare severis
Imperiis, et quae maneat me poena adeuntem?
Nam sit pro patria praeclarum occumbere morti,
Quid mea mors tandem vel crudelissima nobis
Auxilii feret? An studio mitescere saltem
Incipiet verso Regis placabile pectus?
Nempe iram accendam vehementius, ipsaque fato

Provincia di Torino

Urgenti moriens incumbam. Talibus illa,
Et vocem interea suspiria longa, gravesque
Tardabant gemitus, lacrymaeque per ora volutae.
Verum ubi paullisper se se dolor inde remisit
Imo in corde furens, rediitque in pristina virtus,
Fidum ad se famulum vix pressis fletibus accit,
Ique, ait, et patrem verbis solare benignis
IV. 11. Ipse meum, ac ritus memora, legesque verendas,
Suppliciumque una cunctos discrimine nullo,
Non ultro accitos, Regis penetralibus arcens.
Ille viam relegens Reginae jussa facessit
Festinans, dulcique studet relevare jacentem
Judaeum alloquio, ac tristem lenire dolorem;
Tum legem, ut jussus, memorat, ritusque vetantes
Accessum ad Regem, ni sit data copia sponte,
Hosque recusantem violare excusat Edissam.
Nec tamen his dictis Jarides flectitur, ullum
Aut recipit luctus solamen, at aestuat imo
Valdius excrucians saevitque in pectore cura:
Qualis ubi, accenso lignis crepitantibus igni,
Flamma furens magno exsultat sublata camino,
Bacchaturque globos volvens, et acumine lambit,
Summa petens, tectum, si quis super ingerat undam
Tunc forte exiguam, frustraque extinguere tentet,
Hinc magis atque magis furit aestus, et ignea gliscit
Vis atrox, superasque petit violentior auras.
Quare his, ingeminans suspiria, singultusque
Sollicitum famulum verbis dimittit amaris:

Vade, ait, atque meo Estheri dic nomine, tantis
Non se nequidquam donis, et honoribus auctam IV. 13.
A Patre supremo, rerum cui summa potestas,
Nec, si destituat saevo in discrimine gentem
Ipsa suam, ut prudens sibi parcat, tutaque regnet,
Illius auxilium tamen olli defore, summis
Qui semper bonus eripuit, facilisque periclis
Incolumem, ast ipsam certa mox clade, domumque
Interituram omnem patria de stirpe creatam.
Haec ille; atque celer Reginae cuncta vicissim
Rettulit eunuchus, moestoque haec edidit ore,
Tantum illum verbis leniri haud posse dolorem. XIV. 2. 5.
Tum magis atque magis saevit cura ossibus imis
Hebraeae; atque gemens sibi tundit pectora palmis,
Purpureamque humeris vestem discindit, et istis
Affatur supplex, cui parent omnia, verbis.
Summe Pater, spes o miserae fidissima gentis XIV.
Judaeae, rerumque unus columenque decusque
Nostrarum praesens omni in discrimine semper,
Ne quaeso, ne temne preces, ac vota tuorum,
Hasque meas lacrymas, sed nos facilisque, bonusque
Aspice, neve feri patere, immitisque tyranni
Exsaturari odium indignum, rabidumque furorem
Unius ob noxam bacchari in sanguine nostro.
Nonne vides, jussu quot jam fera tela superbo
Exitium in nostrum immineant, quaeque horrida surgant
Hinc bella atque hinc in miseros, non quae undique caedes
Imperio in magno pueroque, senique parantur?

Nempe parum visum est duris in rebus iniquo
Servitio premere, et damnare ad turpia facta,
Ni populum quondam tibi carum, et Numine fretum
Usque tuo, exscindant communi clade, nec ullam
Spem cuique effugii immensa in regione relinquant.
Ast haec praeteritis jamdudum debita nostris
Criminibus poena est, eademque licentia leges
Nunc pergit violare tuas, iramque ciere.
Cuncta equidem fateor, sed num sperare vetamur
Idcirco veniam? Nil heu! pia vota precesque,
Nil lacrymae effusae noctesque diesque valebunt?
Non hoc nos pietas, non hoc clementia prisca
De Te sentire, et nostri tua maxima cura
Hactenus insuevit; nec mî, quae saepe canebat
A teneris benefacta pater, mirandaque signa,
Queis genus hoc nostrum, sortem miseratus acerbam,
Casibus ereptum fata ad meliora vocasti,
Exciderunt animo: sedet, aeternumque sedebit
Hostes per medios, perque arma obstantia quondam
Felicem ad terram, promissaque regna parentes
Deductos nostros, viresque, acremque furorem
Hostilem edomitum, ac manifesto numine fractum
Esse tuo, et lectam populis ex omnibus unam
Hanc nostram, dictamque tuo de nomine gentem,
Ut canat in terris nullo non tempore laudes
Grata tuas, meritosque memor persolvat honores.
Nunc igitur quisquam tua flectere jussa valebit;
Quaeque Patres olim viderunt usque, videntque

Hac firmata tenus nostri, nunc irrita demum
(Quis credat?) promissa cadent, commissaque nostra
Innocui pueri expendent, teneraeque puellae?
Non super ullus erit, qui te, benefactaque coelo
Usque tua extollat, cumuletque altaria donis?
Scilicet id pugnant, simulacraque muta Deorum
Contendunt hostes te contra extollere, et omnes,
Qui tibi solvendi sunt uni, laudis honores,
Votaque, tusque omne (infandum!) traducere in ipsos;
Jamque illis tribuunt quidquid virtute, manuque
Ipsorum est gestum, mox vim, immensamque ferentes
Esse potestatem, populorum ex ore nefandas
Elicient laudes, statuentque altaria passim,
Falsaque, *Te spreto*, celebrabunt numina eorum.
Quod Te per veteres, tua quondam rite colentes
Sacra, patres, oro, tua per promissa, initumque
Nostro cum populo sanctum, ac venerabile foedus,
Ne patere, et saevam fac in nos denique mentem
Exuat, atque tui exemplo mitescere discat
Rex meus, et conjux, simulato crimine falsus;
Fac reseret precibus, quas ira illi obstruit, aures?
Hoc primum; hinc animos aliorum infringe superbos,
Nosque tuum genus exitio, Pater optime, tanto
Eripe, namque potes, fessis et consule rebus.
  Haec ubi dicta iterum in fletus erumpit, amaros
Ingeminans questus, iterumque haec ultima mandat.
Accito famulo ad patrem sua verba referri:
Perge, age, dicque, omnes, quos urbs habet, illico in unum IV. 16.

Judaeos cogat, si fas, jubeatque, fatigent
Assiduis precibus Superûmque, hominumque Parentem
Tres pro me luces cuncti, pacemque, cadente
Sole, orent, pacem rursum veniente, nec unquam
Interea lacrymis parcant; potusque, cibique
Exiguo hoc spatio expertes data tempora degant.
Tum cinere aspergens sibi crines, pulcraque turpans
Ora situ, ac vestem, veniam, pacemque rogabat
Ipsa quoque instaurans supplex pia vota precesque;
Tresque illam soles somno videre, ciboque,
Luctum inter, deinde, et squalenti in veste carentem.
At satus antiqua Jemini de stirpe, coactis
Protinus Abramidis, natae mandata facessens,
Jusserat indictas fundi lacrymasque, precesque
Jam passim, nullumque cibum, dum tertia se se
Oceano aurora efferret, contingier ore,
Effuseque ipse interea, quo corda moveret,
Valdius in lacrymas, fletu indulgebat acerbo:
Nec non vicinas confestim misit ad urbes
IV. 17. Qui populos passim Estheris mandata docerent,
Praeciperentque, omnes precibus, fletuque pararent
Accensam superare aeterni Numinis iram.
Jamque bis hesperiis se Phoebus tinxerat undis,
Bisque diem referens coeli lustraverat orbem;
Nec placidam misero dabat ullam cura quietem,
Quum somno tandem, dum vix albescere olympo
Tertia coepisset lux, victus debile duro
Demisit strato corpus, paullumque quievit;

Nec sopor ille fuit, sed imago salutis, opisque
Ante objecta sibi, quam Divûm Rex, hominumque
Supplicibus populis, miserans, afferre parabat.
Namque, ubi decumbens languentia lumina clausit,
Communemque animo sortem, exitiumque futurum
Somno etiam vinctus nondum secum ipse putare
Absiterat, gelidusque pavor trepida ossa agitabat,
Ecce statim magno misceri cuncta tumultu XI.
Visa sibi circum, et resonare ingentibus aether
Vocibus, et mugire solum, ac tremere ardua passim
Culmina, et horrendo coelum reboare fragore.
Nec satis: hinc gemini exsistunt, fera monstra, dracones,
Et pariter capita alta tenent, pariterque trisulcam
Ore vibrant linguam suffecti sanguine, et igni
Terribiles oculos, et sibila colla retorquent;
Iratique ambo dira ad certamina tendunt.
Mox etiam innumerae, magno turbante tumultu,
Exiguum in populum turmae fera fata parare
Saeva ira accensae, totumque exscindere bello
Conjurasse omnes monstrabant ore, oculisque.
Jamque videbantur consurgere in arma ruentes
Hinc inde una illae, et saevum certamen inire;
Supplex hic contra tanto in discrimine rerum,
Auxilioque carens nullam spem ponere in armis,
At lacrymis tantum indulgere, ac poscere pacem.
Dein fons exiguus, miseris dum questibus ille
Aëra complebat late, auxiliumque rogabat,
Protinus ingentem excrevit conversus in amnem,

Perque agros ivit circum exspatiatus apertos,
Undique sufficiens pratis sitientibus undas;
Discussisque procul tenebris, pulsoque timore,
Aurea lux coelo tandem, totumque per orbem
Exstitit effulgens, solitoque nitentior altum
Sol oriens cursum, radiisque exauctus inivit.
Tum numero exiguis animus suffectus, et ingens
Addita vis, gentesque alias formidine captas
XI. 10. 11. Visi avido cunctas late convellere dente.
XI. 12. His ita spectatis, excussus denique somno
Constitit incerta turbatus imagine rerum,
Spemque metumque inter dubius cum corde putabat
Singula secum agitans, numquid mirabile visum
Forte ferat laeti, an tristes denuntiet iras:
Mox animum, ingenti spe injecta, erexit, opemque
Coepit, et afflictis rebus sperare salutem.
Coelo igitur cum voce manus cito tendit, et almum
Speratum auxilium supplex sic deinde precatur:
Haud equidem spes ista mihi sine numine summo
Objecta est, genitor: nec tu confidere frustra
XIII. 15. Unquam jussisti: laeta o! precor, omina firma,
Quod superest, ergo; et populum, miseratus, iniqua
Eripe caede tuum, lacrymisque inflectere nostris.
Haec ubi dicta cito Reginae ad limina gressus
Convertit tacitus, mirumque illi ordine visum
Delecto a famulo jubet, auguriumque referri,
Spemque animo objiciat, moneatque sequi omina tanta.
Interea magis usque animos attollit, et iras

Usque mage Assueri ciet altas pectore in omnes
Judaeos, referens facta atque infecta, et acerbans
Durus Aman, scelerumque opifex, terrorque, bonorum,
Saevaque praesumit spe gaudia, caede paranda
Innocuae gentis, cui non infestior alter.
Allicit hos donis, illos, jussisque, minisque
Terret, et hortatur multos, ut perdere cuncti
Communi studio, lucem quum Phoebus acerbam,
Jamque statam attulerit, genus immiserabile tendant.
Ast hominis fraudes, molimina et omnia tandem
Elusit merito divina Potentia, cunctas
Quae res consilio miro, immotoque tenore
Per varios casus, per caeca pericula torquet.
Haec et supplicibus reseravit vocibus aures
Irati Regis demum, et mitescere pectus
Edocuit, fraudesque dedit cognoscere, et atrox
Consilium magni, fastuque, opibusque ministri;
Eripiensque metu miseram, exitioque parato
Judaeam gentem cunctas, mirabile dictu,
In caput auctoris poenas convertit, et acres,
Queis Rex ardebat deceptus et incitus, iras.
Addidit haec animum Estheri, justumque timorem
Depulit, ut Regem peteret non jussa maritum,
Auderetque aditum tentare in utrumque parata,
Aut servare suos, aut certae occumbere morti.
Ergo ubi non vana pressam formidine mentem
Victor amor patriae arrexit, coepitque salutem
Sperare ac veniam, formae non immemor Esther

Ipsa suae, ac jussus patrui haud oblita verendos,
Auxilioque Dei fidens, nunc vota tuorum,
Summe Parens, inquit, nunc spes absolvere tempus:
XIV. 3. Adde tuis cumulum benefactis; adde tropaeis
Hostili partis de gente, animamque superbum
Decepti Assueri mihi da superare precando,
Ut lacrymis victus crudelia jussa refigat,
Abramidaeque tuum cuncti per compita nomen
Hinc celebrent, gratique ferant pia dona nepotes.
His dictis metus omnis abit; subitusque sub imo
Pectore fervet amor coepti, et fiducia gliscit,
Insolitumque animum sibi fundi in viscera sentit.
Sic, cui spem contra summo in discrimine vitae,
Dum trepidat, palletque metu, via certa salutis
Ostendit se se, revocari in pristina mentem
Dimotam sentit, luctumque in gaudia verti.
V. & XV. Ergo statim immundum, quo crines, oraque nuper
Turparat, cinerem capite excutit inde, decusque
Omne ingens frontis, lumenque augere juventae
Arte parat, famulas, quae centum stant pede in uno
Sollicitae circum exercens; jamque illa capillos
Digerit, ac vibrat jussa, et fulgentibus ornat
Hinc atque hinc gemmis, nardo, myrrhaque madentes;
Jam parat haec mitram, et redimicula cuncta; nitetque
Huic aurum in manibus; chlamydum ornamenta, lapillos
Illa tenet; profert alia, atque expandit amictus;
Haec illi cubitos gemmis splendentibus ornat;
Gemmas haec rutilas appendit, et auribus aptat.

Singula quid referam. Sua quaeque in munera cunctae
Incumbunt alacres, mirisque ornatibus oris,
Membrorumque decus, quo nil praestantius, augent.
Jamque nihil poterat docta ars, studiumque placendi
Addere; quum binas numero delegit ab omni
Ipsa sibi comites Esther, formaque refulgens, XV. 6.
Incessuque patens matrum pulcherrima, Regis
Limina, multa precans Superos, metuenda petivit.
Sustinet una comes, gemmis auroque micantis
Syrma fluens chlamydis; Dominae laetissima corpus
Altera subnixum lateri sustentat adhaerens;
Tum sic incedens spectantum pectora amore
Succendit, cunctique stupent mirabile frontis,
Egregiumque decus, dum celsa per atria transit;
Laeta etenim vultu ingreditur, moestumque timorem
Corde premit simulans. Tandem ad penetralia Regis
Ventum erat. In solio sedet alto Assuerus, et auro
Cuncta micant circum: riget auro vestis, et una
Effulget rutilis, nexisque ex ordine gemmis; XV. 9.
Et bifores auro, et laquearia celsa renident.
Ast hinc (heu miseram!) flammantia lumina circum *
Rex subito torquens saevam vultu indicat iram:
Venantes contra ceu quum leo silva ab amica *2
Ingruit, atque fremens sibi cauda verberat artus.
Quid faciet capitis tanto in discrimine Regem

* Eratque terribilis aspectu; quumque elevasset faciem, et ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit. XV. 10.

*2 Tribue sermonem compositum in conspectu leonis. XIV. 13.

Iratum aspiciens sibi conscia criminis Esther?
Ecce metu exanimis caput inclinata recumbit
Ancillae in gremium: sedet ori pallor, et omnis
Cessit honos, frontis: modo qui nituere sereni,
Languescunt oculi; vox faucibus haeret, et auras
Carpere vitales penitus desisse videtur.
Exsilit haec cernens subito mutatus, et ira
XV. 11. Deposita Assuerus (Deus illi namque benignam
Indiderat mentem), legesque oblitus avitas,
Atque suas collo moribundae brachia circum
Dat citus uxoris, revocatque a limine lethi
Lenibus his verbis: cur o! suavissima rerum
Cur trepidas? Tuus ecce tuus (timor omnis abesto)
XV. 12. Frater adest *, Esther: non te mea jussa, sed omnes
Obstringunt alios: numero te prorsus ab isto
Exemtam dico: non tu, quas caetera turba,
Communes metuas, Regi carissima, poenas:
Fare age quid cupias tandem, securaque sensus
Suscipe te dignos, atque hinc assuesce rogari.
Sic ait, et sceptrum de more intendit, eoque
Omnia confirmat sua dicta, jubetque benignum
Hinc sibi sperare, et votis, precibusque secundum.
Quare oculos Esther rursus velut ante decoros
Attollit (frontique suus splendorque, decorque

* Fratrum nomine appellari olim solebant ab antiquis Hebraeis non solum qui iisdem parentibus geniti, aut ejusdem stirpis, ac generis essent (ut *οἱ ἀδελφοὶ* apud Graecos), sed quicumque vehementer, et inprimis diligerentur. V. *Calmetti* in vers. 12 hujus cap.

Paullatim redeunt), tum, voce, animoque recepto,
Et grates inquit, mi Rex, tibi solvo, precorque,
Quando jubes fari, ut mihi des, quum crastina ab undis
Se lux extulerit, nostris te posse sub ipsis V. 4.
Tectis excipere, et tecum patiaris Amanem
Convivam acciri, nostraeque accumbere mensae.
Annuit his precibus Rex victus, laetaque in aedes
Ipsa suas, postquam sibi facta est copia, tendit:
Atque hinc Judaeis populis via prima salutis
Panditur, et rerum novus ordo surgit. Amanem
Admonet Assuerus, quo se se induxerit ultro
Ipsum dignari sua conjux regia honore,
Atque jubet dicta secum ad convivia luce
Adveniat, procerum solus conviva futurus.
Ille sibi plaudens et, quae nova gaudia pectus
Pertentant, prodit vultuque, oculisque, tumetque
Valdius. At subita, repetit dum regia tecta, V. 9.
Rursum ira flagrat; nam, quos vehementius optat,
Reddere Jarides, dum transit, rursus honores
Abnuit, atque genu se se submittere flexo.
Ergo domum rediens odio succensus acerbo,
Atque furore amens haec secum: me ne palam iste?
Me Susis toties, Susis me temnet inultus?
Vos o! vos famuli, mora nulla, extrudite terris
Vilem animam, lanientque ferae immiserabile corpus;
Perdere certate hanc pestem, dominoque litate . . .
At satius fuerit tortori tradere, ut omnes
Hinc discant cives, maneat quae poena superbos;

V. 11. Nec plura ; atque trabem , qua non sit longior ulla ,
Imperat extolli , lethumque informe parari.
Hoc dum supplicium tacitus secum ipse volutat ,
Atque morae impatiens studet ipso a Rege probari,
Ecce tibi accitus (sic , quae regit omnia , volvit
Mens divina vices mortalia pectora fallens)
Illum adit , hesterna qui frustra nocte vocarat
Mollibus in stratis somnum , fastosque docentes ,
Quo se Judaei indicium discrimine vitae
XV. 12. Eripuit quondam , evolvi sibi jusserat , et quae
Praemia rettulerit summis dignissimus index :
Versabatque animo haec secum , quum fervidus ira
Venit Aman , sed corde premens , quo fluctuat , aestum.
Cui fronte explicita solio sic illico ab alto
VI. 6. Assuerus fatur : si quem Rex optet haberi
Primum inter proceres , summoque excellere honore ,
Qua ratione viri curam hanc , qua regium amorem
Prodendum censes ? stupet ille ; deinde moratus
Paullisper , secumque putans sibi cuncta paranda ,
Quae Rex mente agitet , sic censeo , dixit : amictus
Insigni trabea , et fulvo diademate crines
Praecinctus , phaleris spectando , auroque nitenti
Cornipedi insideat , cui Rex insederit ante ;
Illius et fraenum manibus regat , atque per urbem
Deducens ex Principibus , qui dignior , ecce
Hos , dicat , tribuit , queis vult , Rex summus honores ;
Perque vias repetat verba haec , per compita quaeque.
Annuit his dictis gaudens Assuerus , et inquit :

Protinus ornetur, quem nomine Mardochaeum VI. 10.
Appellant, (nosti, qui nostra ad limina jussus
Tam fide vigilat) cunctis insignibus istis,
Quae memoras, et ei jamdudum debita novi;
Tuque in equo, pressi cui terga ego saepe, sedentem
Per fora duc illum, deduc per compita clamans:
Sic, quos promeritos Rex ducit, gratus honorat:
Vade age, et ex istis cave quidquam oblitus omittas.
Quid faciet jussu attonitus, fractusque minister?
Fingere ne audebit quidquam parere recusans?
An, merita extenuans Judaei, obstare parabit?
Ira, odioque ardet, sed pressum cautus utrumque
Dissimulat metuens merito, et mandata facessit. VI. 11.
Jamque domum ingrato perfunctus denique jusso
Tristis, et obstipo capite, et quamplurima versans
Mente, reversus erat; frustraque et sollicita uxor,
Et, qui conjuncti vel amico foedere, multi,
Vel genere, ingeminat dum questus, pellere curas
Alloquio blando, et luctum relevare studebant;
Livor enim, mixtumque odium sub pectore fervet;
Quum subiit tandem spes haec, minuitque dolorem,
Posse animum Regis, Reginae in sedibus ipsis,
Quando illic sibi soli ipsorum accumbere mensae
Sorte datum fausta, postquam vinoque calere
Incipiant corda, et se mollia tempora fandi
Obtulerint, verti, et Judaeo affingere quidquam,
Quo merita imminuat, nomenque, decusque licere.
O vanas hominum, quos praeceps ira, furorque

Transversos agit, ac scelerum mens conscia terret;
Et spes, et curas! His aeger, et anxius ille
Duxerat insomnem noctem, Phoebusque levamen
Attulerat rediens nullum; et vix gaudia vultu
Explicito coepit simulare, ubi denique ad aedes
Reginae accessit, conviva abs Rege secundus.
Ast ibi spe falsus, quas ipse exposcere poenas
Sanguine ab innocuo tendebat, Numinis illas
AEterni auspicio, tandem, in contraria versis
Fatis, damnatus persolvit; namque ubi saepe,
Ut mos, expletis epulis, mensisque remotis,
Vina coronarunt cyathos, tempusque nefandos
Duxit Aman versare dolos, laetusque parabat,
VII. 2. Laetior Assuerus Reginam affatur, amicis
Compellans verbis, et, quae gratissima possint
Esse sibi, posci jubet omnia, et omnia spondet.
Illa tibi grates, inquit, Rex optime solvo;
Hoc primum, tanto quod sis dignatus honore
Dilectum patruum (fas jam stirpemque, genusque
Nunc aperire), patrem quem semper jure vocavi
Orba parente meo, monitisque salubribus alta,
Quoque duce, has aedes primo pudibunda subivi;
Dein, quas insidias ipsique mihique parari,
Quod genti exitium nostrae communiter omni,
Novi, oro, avertas, et, Te Te vindice, nobis
AEdibus in nostris liceat terrore vacare.
Talia dicentem Rex interfatur, et ira
Percitus, an quisquam potuit me talia Rege

Conari? cui nam? cui tanta audacia? At illa
En, quem nosse cupis, nobis saevum omnibus hostem.
Hoc in nos odio nempe arsit tempore ab illo,
Quum nostro indicio summo e discrimine vitae
Te exemto, sontes famuli, quos solus amabat,
Quas poenas auso infando meruere, dederunt.
At non expleri, qua flagrat, posse putavit
Diram in nos rabiem, si non delere pararet VII. 6.
Communi exitio Judaeum nomen: acerbo
Servitio premere, et pretium proponere vitae
Haud satis est visum. Atque utinam, dulcissime conjux,
Nil struat his coeptis regnoque, tibique timendum!
Crudelem certe te Persae hoc nomine habebunt,
Et scelera illius tribuent tibi forte loquendo.
Talia dum memorat, conjunctos aedibus hortos
Rex petit ira ardens, et secum ea dicta revolvens;
At stupefactus Aman, mentis vix compos, et iram
Assueri metuens, Reginam pallidus ora
Flectere conatur precibus, lectoque * propinquat:
Nec satis: et lecto incumbit, dum procidit, ipsi;
Atque hinc supplicibus verbis ambire jacentem
Pergebat, quum regressus Rex, valdius ira
Exardens: etiamne meae ah! conjugis audet
Sollicitare torum, me coram, dixit, et istis
Sub tectis? poenas cito det; cito pendeat alto

* Ei scilicet, cui Persarum more accumbens convivas exceperat.

E tigno, ut meritus, cui Harbona *: paravit in hortis
Ipse suis tignum, quo non excelsius ullum:
Pendeat ergo illinc, addit; tetrumque cadaver
VII. 10. Aspiciant cuncti, patet unde egressus ab urbe,
Alte suffixum cives; nec plura; caputque
An. ab orbe cond. 3496. Protinus obnubunt misero, frustraque precanti,
Solliciti famuli; et tortor mora nulla capessit
Regia mandata. Hinc rerum convertitur orbis,
Atque suum ostendit divina Potentia numen.
Jaridi Assuerus, Regina orante, secundum
In regno dat habere locum, datque annulum, Amani
Detractum: dat praeterea sua ferrea jussa,
Quae merito horrebat gens cladi addicta nefandae,
Mandatis revocare aliis, pacemque per omne
Imperium Abramidis spondere, altamque quietem,
Sed prius ulcisci, et victos convertere in hostes
Exitium ut Susis liceat, perque oppida cuncta,
Quoque die hostili fuerit de gente triumphus
Actus, eum ut jubeat celebrari tempus in omne
Patria relligio, et cumulari altaria donis;
Sitque idem Persis aeque sacer omnibus una.
Edicique suis passim jubet omnia verbis,
Quidque sit ausus Aman, quid passus denique, pandi.
Quare animi erecti judaeae gentis, et ipsi

* Eunuchus, qui missus fuerat ad Amanem, ut ad convivium properaret, et tunc patibulum domi Amanis viderat, et Mardochaeo paratum ex aliquo domesticorum intellexerat, inquit *Josephus*. *Menochius* de Rep. Hebraeorum.

Protinus affulsit relevans spes certa salutis. VIII. 16.
Arma viri unanimes cuncti, fremit arma juventus.
Ergo ubi sol illum, excussa qui exivit ab urna,
Squammigera ad signa accedens, mensemque, diemque
Rettulit, extemplo passim data millia letho
Persarum multa *, et crudeles ipsa luerunt,
Quas molitus Aman, caedes; nec plurima turba
Susis exemta *2, aut soboles fuit illius ipsa. IX. 14.
Crux eadem patri natos bis quinque, eademque
Sors, jussu Assueri, et prope par infamia junxit.
Hinc et nunc etiam memores, jussique nepotes
Magnum illum celebrant (*Phurim* dixere Parentes)
Sollemnem, sacrumque diem, et sua gaudia passim
Donis atque epulis, quae cuique est copia, produnt *3, IX. 17.
Psallentesque canunt memoranda tropaea quotannis;
Et saepe Estheris, Jaridis saepe, canendo,
Sanctum ipsis merito, tollunt ad sidera nomen.

---

* Pro animabus suis steterunt Judaei interfectis hostibus, ac persecutoribus suis, in tantum ut septuaginta quinquemillia occisorum implerentur. IX. 16.

*2 Quingenti Susis interfecti fuerunt praeter decem filios Amanis, quorum ista erant nomina *Pharsandata*, *Delphon*, *Esphatha*, *Phoratha*, *Adalia*, *Aridatha*, *Phermestha*, *Arisai*, *Aridai*, *Jesatha*. IX. 6.

*3 Etiamnum Judaei illo die (13 feb.) in synagogis suis legunt historiam Esther; et quoties fit mentio Amanis, pugnis et malleis pulsant scamna, perinde ac si caput Amanis ferirent. *Corn. a Lap.* in v. 1 cap. IX.

Imprimatur.

Fr. Vinc. Pullini S. T. M. Pro-Vicarius. Gen. S. Off.

V. Regis AA. LL. P.

V. Eandi pro Illustrissimo Comite DE FERRERE.

115195

AMM. PROV. DI TORINO
№ 15652
BIBLIOTECA